



2/10/11
~~GA 17~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-61.

SIGNAT. 1515CCCXIII.

4

נשם משה

DISSERTATIO THEOLOGICA

De

PETRINA ABNEGATIONE,

ex Matth. XXVI. v. 69. usq; 75.

Quem

PRÆSIDE

RECTORE MAGNIFICO

VIRO

Maximè Reverendo, atqve Excellentissimo,

DN. JOHANNNE Deutschmann/

SS. Theol. Doct. ejusdemq; Prof. Publ. Celeberrimo
nec non Alumnorum Electoralium Ephoro Gravissimo,

*Dn. Patrono Præceptore ac Promotore filiali cultu
ac observantiâ et atem prosequendo*

die 6. Aprillis A. Æ. C.

M. DC. LXXVII.

In Auditorio Theologorum

horis consvetis

Publicè defendendam suscepit

RESPONDENS

GEORGIUS SCHULERUS,

Cibiniò Transylvanus.

WITTEBERGÆ, Typis JOHANNIS BORCARDI, Acad. Typ.
Excudebat SIMON LIBERHIRT,

h. III. 2873

G. Meis



4

DISSENTATIO THEOLOGICA

PETRI ABNE

GATIONE

et M. d. c. lxxvii

RECTORI MAGNifico

VIA

Magno

DR. JOHANNES

et Theol. Doct. eiusdemq. Prof. Publ. Celebratissimo

Magno

Dr. Petro

ac observantissimo

Magno

Magno

Magno

Magno

Magno

Magno

Magno

Magno

Magno

Magno

Magno

Magno

Magno

WITTEBERGAE, Typis JOHANNIS BORCARDI, Acad. Typ.

Excudebat SIMON LIEBRIERT.



DISSERTATIONES PASSIONALES
DISSERTATIO XV. PASSIONALIS ex Matt:XXVI.

v. 69-75.

DE PETRINA ABNEGATIONE.

1. **M** *Attb. X. 32. 33.* notabilis legitur concio de Christi *Matth. X.*
confessione & abnegatione; illius maxima dignitas &
utilitas indicatur, hujus ineffabile, vel intolerabile
damnum & exitium explicatur. Horribile est, à DEI,
Christiq; cognitione separari; *horribilius* coram Patre caelesti
negari; sed omnium *horribilissimum* à Christo, unico Redemptore
& Salvatore coram Patre caelesti negari. Concionem hanc &
horribilem comminationem Petrus audiverat, & paulo ante de
lapsu suo satis à Christo monitus fuerat; at nihil illius, nihil huius,
sibi revocat in memoriam, sed horribile peccatum perpetrat,
suumque Salvatorem tribus vicibus abnegat, de qua *Trina Petri*
abnegatione Matthaeus h. l. verba facit.

2. *Jer. V. 12.* Propheta per totum caput abominabilem Judaeorum
religionem, cultum detestandum & flagitiosissimam, vitam
copiosis & emphaticis verbis corrigit, summam verò dictorum
brevissimis concipit, & *v. 12. summarium* aliquod totius capitis
proponit inquit; *Negaverunt Dominum.* His ostendit, *abnegationem*
horribile peccatum esse, cum sit omnis mali fons & origo,
scelerum omnium scaturigo, Diaboli consortium & peccatum
suum à Deo dissidium. Describit autem vitium hoc (1) *ut vitium*
communissimum, quia loquitur in *plurali*, quod non de uno, nec
de paucis, sed de omnibus, exceptis paucis, Deo servatis, hoc va-
leat, *Negaverunt Dominum*, sicut è textus circumstantiis patescit;
nulla siquidem fides, nulla pietas, nulla justitia reperiebatur
Hierosolymis, vel in aliis *Judaeae* locis *v. 1. seqq.* inter infimos & sum-
mos regnabat *atheismus*, *notitia divina negligentia*, imò *Dei igno-*
rancia v. 4. 5. omnes liberi *Ierusalem*, h. e. cives omnes, omnes in-
colae erant idololatriæ & spiritualis fornicationis affeclæ *v. 7. 8.*
Prophetæ, ipsorumq; auditores abnegarunt Deum, Deiq; ver-
bum *v. 13. & c.* ut vere peccatum hoc fuerit *communissimum.*

Jer. V. 12.

*Abnegati-
onis vici-
um com-
munissi-
mum.*

A

(2) ut

DISSERTATIONES PASSIONALES.

atrocis-
simum.

3. (2) *Ut vitium atrocissimum, quod consistit in negatione: Negaverunt, inquit Ieremias: Horrendum est crimen, Deum autorem & conditorem, conservatorem & benefactorem ignorare, aut debita diligentia salutarem ejus notitiam non indagare: magis verò horrendum facinus; Deum agnitum sibi que revelatum non curare, notitiam Dei negligere, vel eam rebus aliis vilioribus posthabere, vel prorsus Dei cognitionem contemnere: utrumque dicitur hic de Ieremia auditoribus, ignorantia crimen v. 4. s. neglectus & contemptus Dei v. 11. sed maxime horrendum scelus & flagitium, Deum, Dei que notitiam revelatam penitus abnegare. Veritatem, aut alias res in se bonas abnegare, non immeritò refertur inter scelera, cum ex voluntate fiat abnegatio, bona verò sunt observanda, non abneganda: sed Deum, omnium bonorum optimum & maximum abnegare, inter scelera flagitiosissimum esse videtur*

exitiosis-
simum.

Deum Pa-
trem ho-
mines ab-
negant.

Deum Fi-
lium.

Spiritum
Sanctum.

Messiam.

4. (3) *Vitium exitiosissimum, quia Dominum negaverunt: non intelligitur hic Dominus vulgaris, vel Rex terrestris, sed Dominus coli & terra. Homines autem ejusmodi abnegant Deum Patrem, ceu creatorem, dum ejus beneficia grata memoria nec recolunt, neque debitas pro creationis beneficiis ipsi gratias agunt. Abnegant Deum Filium, ceu Redemptorem, qui peccata ipsorum tulit Esa. LIII. 4. & suo proprio sanguine ipsos redemit Act. XX. 28. Abnegant Deum Spiritum Sanctum, ceu sanctificatorem, quem nec in cor suum admittunt, nec verbum sanctificationis recipiunt, vel etiam Spiritum Sanctum, è templo cordis excutiunt, & ita multis modis Deum abnegant. Ieremias licet essentialiter de Domino loquatur, ejusque abnegationem, ceu compendium, vel etiam fundamentum & complementum omnium scelerum adducat, peculiariter tamen secundam Deitatis personam respicit, & ad ejus abnegationem digitum intendit. Nam ille Dominus h. l. potissimum intelligitur, cujus homines sunt palmites v. 10. at Christus v. 14. est, ejus nos palmites sumus Job. XV. 1. Deus Israelis h. l. introducit v. 11. at Deus Israelis est Messias, ut passim in scriptura Veteris Testamenti nuncupatur. Deus Iuda est Messias Hos. I. 7. ubi Deus*

DISSERTATIONES PASSIONALES.

Deus Pater Iudam salvare dicitur in Domino Deo suo, h. e. Messia. Et præterea Messia abnegatio gentibus omnibus in Veteri Testamento communis, & Israelitis Idololatriæ familiaris erat. In Novo Testamento similiter à Iudaorum posteris, Pontificibus, Phariseis, Legis peritis & Populi Senioribus abnegatus est: sed hoc mirum non erat, quia vatiniانو contra Iesum Nazarenum ardebant odio, quos propterea Diabolus non adeo difficulter in abnegationis crimen conjicere poterat. Sed hoc dolendum, quod Apostolus Domini, tot annorum discipulus, tot miraculorum spectator Petrus, ex Diaboli seductione in idem abnegationis peccatum incidit, & non tantum semel, sed trina vice Dominum abnegaverit, unde Matthæus nunc ordine Historiam de Trina Petri abnegatione recenset, proponens (I) Petrinæ abnegationis occasionem v. 69. (II) Petrinæ abnegationis descriptionem v. 69. 74. (III) Petrinæ abnegationis consecutionem v. 75.

De Trina
Petri ab-
negatione.

5. Quod attinet (I) Petrinæ abnegationis occasionem, ea v. 69. verbis prioribus exprimitur: Petrus verò sedebat foris in atrio; quibus occasio tergemina nobis ostenditur (1) Curiosus Petri ad aulam accessus, quia Petrus postquam secutus erat Christum v. 58. cum aliis in atrium usq; aulæ Pontificis concesserat. Hoc fiebat ex nimia Petri curiositate. Nam ipse cum reliquis discipulis salvum conductum verbis Christi, ejusq; vaticinio Iob. XIX. 8. 9. confessus erat, salvus igitur & incolumis ad hoc Christi verbum abire potuisset, & sic discipulos reliquos nec deserere, nec ausu temerario post latrones incedere, multo minus in aulam Pontificis ascendere debuisset, quia periculum amans, facile periculo perire consuevit: at curiositas & temeritas Petri non sinit ipsam quiescere, unde periculum abnegationis non potuit effugere.

1. Petrinæ
abnegatio-
nis occa-
sio Triplex.
1. Curiosus
Petri ad
aulam ac-
cessus.

6. (2) Temerarius inter servos confessus, quia Petrus sedebat in atrio, & quidem cum ministris ad ignem, ut refert Marc. XIV. 54. & tantæ temeritatis erat, ut etiam in ipsorum medio locum occuparet, teste Luca XXII. 55. magna temeritatis erat, atrium Pontificis, ab hostibus repletū, ingredi; majoris adhuc erat temeritatis in medio hostium considerare: sed maxima temeritatis videtur, meritas.

Temerarius
inter
servos
confessus.
Petri temeritas.

DISSERTATIONES PASSIONALES.

detur, quod etiam ad ignem confedit, ut ab omnibus videri & cognosci posset. Et certe si quisquam alius discipulorum talia fecisset, remeritas ejus vix excusationem inveniret. *Petrus* autem præ reliquis omnibus servos offenderat, Malchum gladio percusserat, & aurem ipsi citra Domini voluntatem absciderat, & tamen ejus est remeritatis, ut hostes offensos insequatur, non procul ea, quæ fierent, in angulo quodam observando, sed ipsam Pontificis aulam intrando, in medio hostium intensissimorum hoc tempore periculoso, quo Christum captivum abduxerant, locum occupando, & omnium observationibus ad ignis splendorem se offerendo. Sic igitur parum memor erat eorum Petrus, quæ Christus antea de scandalo & abnegationis periculo prædixerat.

3. *Solicitus
Petri conspectus.*

7. (3) *Solicitus Petri conspectus*, nam sedebat in atrio foris ad ignem, & sic omnium oculis expositus erat, prout ex Evangelistarum collatione patet: inter alia de captivato Jesu colloquia se mutuo adspiciebant, & oculos etiam in *Petrum* convertebant, qui nec ad conservos, nec ad milites pertinebat, & tamen peregrinus his assidebat: præ aliis eum curiosior quædam ancilla notabat, ἰδού, ἡγὼ ἀρενίστασα, juxta *Lucam* v. 56. videns eum, & fixis oculis hunc ignotum, novumque hospitem intuens, quæ novitatis avida ad conservos in atrium exierat, ut in res gestas inquireret, & nova quædam à conservis perciperet: inter reliquos autem servos ac milites, quos antea viderat ad captivandum Jesum egressos, nunc alium observat, nim. peregrinum *Petrum*, qui ad horum contubernium non spectabat, unde, fixis in eum oculis, accuratius ipsum notabat, eumque discipulum *Jesum Nazarenum* judicabat. Et hinc non tantum ipsa sumebat occasionem

II. *Perrina
abnegationis
descriptio.*

interrogandi *Petrum*, annon hujus Jesu captivi discipulus esset, sed reliquis assessoribus & spectatoribus etiam dabat occasionem accuratius *Petrum* intuendi, & in ejus statum inquirendi. Hinc

a. *Simplex
Christi
abnegatio*

8. II. *Perrina Abnegationis descriptio*, v. 69. seqq. exponitur, & triplicem abnegationem complectitur, quæ per gradationem quædam distinguitur. Traditur autem (a) *simplex Christi abnegatio*,

DISSERTATIONES PASSIONALES.

Et, quæ nim. facta sine juramento: Accessit ad eum una ancillarum, nim. cum procul eum observasset, propius accedere voluit, ut verius eum à reliquis distingveret, rectius ipsum cognosceret, & coram omnibus patefaceret: cum igitur deprehenderet, eum esse discipulum Christi, quem citra dubium sæpius cum Jesu Nazareno conversantem viderat, nunc etiam tristes ejus gestus observaverat, & ipsum Galilæum ex idiomate cognoverat, non amplius tacere voluit, nec etiam tantum interrogavit, ut est apud Marc. XIV. 67. Job XVIII. 17. sed etiam affirmavit, tum Petro, quia dixit juxta Matthæum: Et tu cum Jesu Galilæo eras: tum astantibus servis, de captura Jesu illius coram ancilla thralonicè gloriantibus: Et hic cum illo, quem scil. vos cepistis, erat Luc. XXII. 56 sed Petrus coram omnibus negavit dicens: Nescio, quid dicis: sic unius ancillulæ verbis fractus ejus animus, & penitus concussus, statim abnegavit Christum prima vice, dicens, se non esse discipulum Christi Job. XIX. 17. neq; Christum nosse, Luc. XXII. 57. neq; scire, quid ipsa dicat, sicut Matthæus & Marcus referunt. O meticulosum Petrum, qui pristinae gloriationis, vel temeritatis minime recordatur, sed ad unius ancillæ verbum Christum abnegare conatur.

9. (2) Duplex abnegationis per juramentum confirmatio v. 71. 2. Duplex abnegationis per juramentum confirmatio.
 72. Exeunte nim. illo in vestibulum, vidit eum alia ancilla: & ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum Jesu Nazareno. Et iterum negavit cum juramento, quia non novi hominem. Sic cum ostio Petrus egrederetur, quia hic sibi tutum locum non inveniebat, rem omnem in vado nunc esse judicabat, si ex atrio in vestibulum, & procul ab igne recederet: sed alia mox ipsum ancilla conspicit, eum fugam capessere conjicit, ideo reliquis astantibus ipsum prodit inquis: Hic etiam erat cum Jesu Nazareno, q. d. nunc egreditur ostio, non dimittite ipsum, evasionem querit, ipse vere discipulus ejus est: & Petro abnegante, mox alius teste Luca v. 58. id confirmat, imò teste Iohanne v. 27. adstantes conservi testimoniis istis calculum adjiciunt: cum igitur Petrus consensum omnium audiret, pertinaciter in abnegatione persistit: ast simplicem abnegationem ipsis non esse satisfacturam facile colligit, hinc Christum

DISSERTATIONES PASSIONALES.

stum non tantum abnegat, sed etiam hanc abnegationem juramento confirmat, quod hominem istum non noverit; sic igitur Jesum ne quidem appellare volebat, ne suspicionem in ipsis auferret, sed *hominem* tantum in contemptum quasi vocat, ut talem suspicionem illis eximeret, & periculum hoc evaderet.

*Triples
Christi
abnegatio.*

10. (3) *Triples Christi abnegatio*, quæ nim. & abnegationem, & abjuratorem Christi, & execrationem sui complectitur, & ultimum abnegationis gradum constituere dicitur v. 73. 74. nam Petrus nondum ad se redire poterat, hinc non obstantibus prioribus abnegationibus ausu proflus temerario jam turbatus in aula cum servis permanebat, & sic in novum abnegationis periculum incidebat: post horam enim alius, teste Luca v. 59. id confirmabat: *Vere & hic erat cum illo, nam & Galileus est*: non simpliciter id agebat, sed & asseveratione, & probatione, suam hanc assertionem probabilem efficiebat. Petrus verò denuo negabat: *Cognatus Malchi à Petro percussi, Petrum* confrontabat, ut loquuntur, & ad oculum hoc ipsi demonstrabat, inquam. *Nonne te vidi in hortu cum eo.* Sed Petro iterum hoc negante. *totam turba* hoc confirmat, ut *Mattheus* hic refert, dicens: *Vere & tu ex illis es, nam & (nim. præter alia documenta) loquela tua te manifestum facit.* Hic Petrus incipit Christum abnegare, abnegationem juramento confirmare, vel penitus Christum abjurare, & semetipsum execrari, si nosset hominem. O Miserrimum Petrum! Sed in medio passionis cursu Christi potentiam & auctoritatem salvi conductus observare debemus. Dixerat Christus, *finite hoc abire Job. XII. 8* hæc verba tantæ fuerunt efficaciam, ut licet tot testes adfuerint, toties omnes id confirmaverint, Petrum esse Christi discipulum, & simul eum ut *Malchi percussorem* agnoverint, neq; tamen ipsum prehendere, vel injuriis ullis afficere potuerunt.

*III. Petri
negationis
consecratio.
Galli cantus.*

11. III. *Petrina negationis consecratio* v. 75. quo tria consequentia notantur (1) *Galli cantus*, nam *continuo cantavit Gallus.* Hoc enim signum Christus Petro dederat v. 34. quod ante galli cantum ipsum sit abnegaturus. Ita veracitatem patientis cognoscimus. Sic *gallus præco penitentiae, præco justitiæ* Petro factus: *gallus aliàs præco*

DISSERTATIONES PASSIONALES

præco solis, ita concio penitentialis præconium solis iustitiæ, vid. Christi, quia per veram penitentiam Christus corda resipiscendum ingreditur.

12. (2) *Petri reditus, quia Petrus recordatus est verbi Jesu, qui Petri reditum dixerat; prius, quam gallus cantet, ter me negabis. Lucas meminit, dicitur quod post abjurationem Dominus Jesus Petrum sic intuitus, εἰς βλεψῆς, intuitus est faciem, linguam, & cor Petri, quem intuitum Christi potentissimum, & efficacissimum, secuta statim Petri penitentia, quia verborum Christi recordatus est. Unde Bernhardus, inquit: O bone Jesu, adspice me oculis, quibus Petrum in acro, peccatricem in convivio, latronem in patibulo, ut cum Petro fleam, cum peccatrice diligam, cum latrone te æternum videam! In his bonitatem Domini non tantum admirari, sed etiam meditari, Petri penitentiam imitari debemus.*

13. (3) *Petri fletus, quia egressus foras, flevit amare: non tantum corde dolet, neq; tantum lingua gravissimum & horrendum peccatum abnegationis detestatur, sed etiam amaro fletu veram penitentiam contestatur. Nam lacrymæ penitentiæ sunt penitentiæ vestes, contritionis interioris indices, & misericordiæ divinæ, vel remissionis peccatorum augures.*

Nota Didactica.

1. *Qui vult vitare peccata, vitet occasionem peccandi, tritum, sed verum est proverbium, quod Petri docet exemplum. Si Pontificis Aulam non intrasset, nec inter malos ministros locum occupasset, Christum non abnegasset: unde dicitur aliàs: da Petrus nach Hofe kam/ ward er ein Schalk.*

2. *Deus Petrum labi permisit, partim propter cordis superbiam, quia præ reliquis targebat, partim propter sui fiduciam, quia suis viribus multum tribuebat, partim propter vanam gloriam, quia coram Christo fuerat ante gloriatus v. 35.*

3. *Quod Petri lapsus gravissimum fuerit peccatum, B. Gerhard. Petri gravissimus lapsus in Harm. Evangel. cap. CLXXXIX. p. 1826. ex omnibus circumstantiis deducit (1) respectu operantis, quia Petrus non fuit vulgaris, sed primarius Christi discipulus. (2) respectu objecti, quia Petrus abnegat Christum, (3) respectu adstantium, quia Pontifices, & alii congregati*

DISSERTATIONES PASSIONALES.

congregati citra dubium hunc lapsum agnoverunt, & Christo talem objecerunt. (4) *respectu modi*, quia concursus variorum peccatorum in hoc lapsu reperitur, quælia sunt *temeritas, diffidentia, pusillanimitas, mendacium, perjurium, execratio, obstinatio &c.* (5) *respectu iterationis*, quia sæpius Christum abnegavit. Hæc pluribus d.l. sunt exposita.

4. Gratia DEI nos esse, quod sumus: quæ subtracta minimus, vel mulier, ancilla, puella, vel alia vilissima creatura, nos viribus, animo, judicio privare potest, quod in Petro cernimus. *Non unus aliquis ex illis gravioribus*, inquit Chrysostomus, *sed, femina, eaq; ostiaria, abjecta, & captiva quedam puella, nullius preter mulier*, scil. Petrum interrogavit.

5. Magnum esse peccatum Christum abnegare; *majus* abnegationem hanc juramento confirmare: *maximum* Christum cum execrationibus profus abjurare.

Nota Elenctica.

Petrus vere negavit.

1. *Petrus vere negavit Christum*, quod patet tum *ex Christi prophetia v. 34.* tum *ex lapsus historia*, tum *ex Petri penitentia*, quæ certe non fuisset opus, nisi gravissimum lapsum abnegationis Petrus incidisset, quod contra veteres quosdam observandum, qui Petri lapsum excusare quodammodo voluerunt: sed recte judicat Hieron. lib. 4. in *Matthæum*, hæc saltem pii cujusdam affectus erga Petrum esse testimonia, non autem veritatis oracula.

& plene

2. *Petrus plene negavit Christum & ore & corde*, quia ex abundantia cordis os loquitur *Matth. XII. 34.* & Christus testatur *Matth. X. 32.* quod *oris confessio sit talis confessio*: non igitur probare possumus, quod *Rupertus* disputat in *c. 26. Matth.* Petrum *ore tantum, non autem corde Christum negasse*, quem errorem *Galviniani* quoq; suum faciunt.

Petrus fidem amisit.

3. *Petrus abnegando Christum, fidem etiam suam amisit*, cum certum sit, quod *fides nihil aliud sit, quam Christi fidelis apprehensio*; *Christum autem abnegare, est Christum non apprehendere.*

DISSERTATIONES PASSIONALES

dere: sed apprehendere & non apprehendere simul consistere nequeunt, cum sint contradictoria: non igitur probare possumus, quod nonnulli Papistarum dubitant, an Petrus fidem perdidit cum Corn. à Lap. in b. l. & quod alii cum Calvinianis idipsum negant.

4. Petrus equidem non finaliter gratia Dei excidit, quia per veram penitentiam ad eandem rediit, verè tamen atq; totaliter excidit, quia horrendum abnegationis peccatum commisit, quod itidem contra Calvinianos observandum. *Et gratiam Dei totaliter.*

5. Deus Petri lapsum non in penitentia remedium, sed in ejus testimonium, & exemplum permisit, quod contra Papistas est observandum. Sic enim Novarin. in Matth. 26. scribit: *Cadere permittitur Petrus, UT IN ECCLESIAE PRINCIPE REMEDIUM conderetur, & nemo de sua virtute consideret.* *Penitentia Petri.*

6. Lacrymae Petri fuerunt peccati radices, non vindices, remissionis peccatorum testes, non autores, nec fuerunt vera satisfactoria. Falsum igitur est, quod Papistae volunt, Petrum lacrymis culpam suam diluisse, vid. Contzen Comment. in Matth. 26. quest. 2. nec enim pro pana temporali debuerunt, nec pro aeterna potuerunt satisfacere. *Lacrymae non satisfactoriae.*

Note paræneticae.

1. Precum lacrymae sunt balneum animae, Nilus Decad. 20. paræn. 4.
 2. Penitentium lacrymae sunt Dei, vel Christi deliciae.
 3. Lacrymae penitentium sunt vinum Angelorum.
 4. Peccasti, penitere: Millies peccasti, millies panitere Chrysostr. t. 1. in Ps. 50. hom. 2.
- Lacrymae Penitentium.*

DISSERTATIO XVI. PASSIONALIS ex Matt: XXVII. v. 1. 2.

DE SANGVINARIO CONTRA JESUM CAPTIVUM CONCILIO.

Gen. XLIX. 5. Patriarcha Jacobus detestatur consilia & concilia fratrum Simeon & Levi, non tantum propter malitiosum horum duumvirorum factum contra Sichemitas & Josephum commissum; sed sumprimis propter posterorum Simeonis & Levi scelus.

B.

scelus

DISSERTATIONES PASSIONALES.

sceleratissimum consilium & concilium contra *Virum nat^o i^o x^o y^o*, verum mundi Messiam institutum: factum ipsum v. 5. describit, processum v. 6. vivis coloribus depingit, non aliter, ac si factioso & malitioso Sacerdotum & Legisperitorum, Levi & Simeonis posterorum, conciliabulo præsens interfuisset: hinc v. 7. maledicit ira & furori ipsorum, ipsisq; nullam terræ promissæ portionem attribuit. Verè maledictum fuit hoc concilium, maledictum ejus consilium, maledictum consilii decretum, quia contra benedictum Abrahæ semen, contra benedictionis omnium fontem institutum, ut benedictionis autorem tolleret, autorem vitæ prorsus innocentem occideret, unde nunc de Sanguinario hoc Concilio passionalem meditationem instituemus.

Psal. 2. **XXXI. 14.** *Messias per Davidem, de sanguinario Sacerdotum & Seniorum Concilio, graviter conqueritur: Audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu, dum consultarent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt.* Quod hæc querela Messia fit, & quidem verè passionalis, è toto contextu manifestum est, cum primis è v. 6. ubi formulam, qua Patri spiritum suum tempore mortis in cruce commendaturus erat, fidelibus in V. T. prædicit & præscribit. Hinc etiam colligitur, quod v. 14. nullum aliud, quam Pharisæorum & Sacerdotum de morte Christi Concilium introducat. Ostenditur autem in hac querela (1) **Conciliarium personarum descriptio, audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu, Hebr. pavorem undiq; Luth. daß sich jedermann für mich scheuet. Personæ in hoc consilio præsentibus sunt vituperantes, infamantes per falsa testimonia, per conficta examina, per iniqua judicia: taliumq; vituperantium non exiguus est numerus, sed ingens cætus, integra multitudo: nam indefinite multi dicuntur, eum multi fuerint in Concilio Sacerdotes, multi Pharisæi, multi legisperiti, multiq; Seniores populi, nec reliquorum vel auditorum, vel spectatorum parvus fuit cætus: illi omnes vituperabant, & calumniabantur Christum in faciem, quod dicitur, unde Messias conqueritur, juxta textum Hebr. *Ego audivi vituperia, vel infamiam ipsorum, sicut Matthæus h. l. describit,***

DISSERTATIONES PASSIONALES.

bit, quod non tantum falsi testes contra Christum surrexerint, qui varias & iniquas accusationes in ipsum coniecerint, sed etiam *Caipham*, summus Sacerdos, ipsum blasphemiae postulaverit, & tota multitudo malignantium ipsum mortis reum judicavit. Hinc etiam tantum dicitur fuisse vituperium, ut omnes ipsum Messiam ex pavore quodam fugerint, & omnes amici ac discipuli propter tantam persecutionem ipsum deseruerint.

3. (2) *Conciliarium personarum actio* *consultarum simul adversus Messiam*: habuissent equidem aliam, de quo consultare vel potuissent, vel debuissent Sacerdotes, nimirum quomodo doctrinam, variis traditionibus corruptam, reformarent, vitam suam pessimam emendarent, sacerdotium juxta legem Moysi corrigerent, & abusus sacrificiales tollerent, sed de his ne quidem cogitant, multo minus verba de iis faciunt, aut consilia salutaria conferunt: Christum autem innocentem suis malevolis consiliis rodunt & radunt, hinc Messias conqueritur, consultant super me *Hy* contra me, sicut sequentia & antecedentia hoc inedicant. Idem *Psal.* II. 9. *seqq.* XXII. 13. *seq.* & c. Messias querelatum genus exposuit. Consultarum certe contra *Christi doctrinam*, contra *Christi vitam*, contra *Christi famam*, sicut *Matth.* XXVI. v. 59. *seqq.* *Joh.* XIII. 19. cum aliis Evangelistis annotarunt, quod Christum ratione *doctrinae*, & ratione *discipulorum* examinarint, ipsumque ad mortem condemnarint.

Conciliarium personarum actio.

4. Hinc (3) *Conciliarium personarum intentio*, quia accipere *animam meam consiliati sunt*, *Luth.* sic denken mir das Leben zu nehmen. Hoc fuit propositum ipsorum ante conventum, quia diu cogitationes istas animo secum foverunt, per omnes dies praedicationis *Messiae*, multisque modis vel sermonibus, vel factis & miraculis capere studuerunt, ut aliquo saltem praetextu ipsi quicquam objicerent, adeoque sub titulo juris eum occiderent, sicut patet ex consilio *Caiphae* *Joh.* XI. 50. nunc idem propositum in concilio retinent, dum falsos testes subordinant, ex falsis testimoniis ipsum examinant, optime dicta in pessimum sensum explicant, ipsum blasphemiae statim accusant, eumque, ceu morte dignum, hor-

Conciliarium personarum intentio.

DISSERTATIONES PASSIONALES.

horrenda sententia condemnare nulli dubitant. Vidimus hoc in
præliminari Synedrio Matth. XXVI. 3. seqq. audivimus idem in *exa-*
minatorio Concilio v. 57. nunc idem è *Decretorio Concilio* percipe-

Sanguina- re poterimus, hinc modo *Sanguinarium illud de Captivo Jesu Con-*
rium de *cilium* meditabimur, quia *Mattheus* proponit (I) *Concilii Sangui-*
Captivo *narii processum v. 1.* (II) *Sanguinarii Concilii Scopum v. 1.* (III) *Conci-*
Jesu Con- *lii Sanguinarii eventum v. 2.*
cilium.

5. Quod concernit I. *Sanguinarii Concilii processum*, eum ver-
 I. *Sangui-* bis brevissimis *Mattheus* describit v. 1. *Mane autem factò confis-*
narii Con- *lium inierunt omnes Principes Sacerdotum & Seniores populi adver-*
cilii Pro- *sus Iesum*: quibus exponit (1) *Concilii sanguinarii circumstantiam,*
cessum. *nim. temporis*, quia statim *mane factò* concilium denuo congre-
Circum- *gatum*, dum sanguinolentus ipsorum animus nec cessabat, nec
stantia. cessare poterat: *vesperi Iesum ceperant*, nocte ferè tota *partim*
ipsumet, *partim* per suos ministros, *partim* per crudeles milites,
 eum convitiis, blasphemis, multisq; modis aliis fatigaverant,
 jam summo mane redeunt, ut animum suum explerent, & inno-
 centem Iesum ad occidendum traderent: ita Christus *vespertio*
no, nocturno, matutino tempore pro nobis passus est, ut omnium
 temporum peccata totaliter expiaret.

Forma.

6. (2) *Concilii sanguinarii formam*, quia *consilium inierunt o-*
mnnes Principes Sacerdotum & Seniores populi. Nam præterita ve-
 spera non videntur omnes in Concilio comparuisse, quod ex eo
 colligitur, quia nec *Hannas* adfuit, summus aliàs Sacerdos *Job. 18.*
13. hinc *Matth. XXVI. 57.* de *Concilio vespertino* loquitur *indefinite*,
 Sine nota quadam *universality*, at de *Concilio matutino* particu-
 lam *universalem* adhibet. Non enim quævis *Caiphas*, sed hæc bo-
 na nova, quæ scelerati talia judicabant, omnibus sui æqualibus
 communicabat, & ad summum mane concilium universum Sa-
 cerdotum ac aliorum Procerum convocabat. Hinc adducit *Mat-*
thæum Concilii causam, quod convenerint *omnes Principes Sacerdotum*
& Populi Seniores: *Marcus* addit *c. XV. 1.* *Legisperitos & omnem Se-*
natum, qui omnes in Christi mortem conjuraverant, Producit
 etiam ipsam *concilii Curiam*, *συμβέλιον ἔλαβον*, *Marcus* *πλήσασθες*
 quia

DISSERTATIONES PASSIONALES.

quia verè consilium hoc ex corrupta ratione fecerunt, & ex sanguinaria sua intentione sumserunt, & contra leges & omnia jura, contra justitiam & æquitatem susceperunt, nullam autem occasionem ab ipso Jesu captivo, quem trucidare volebant, assumserunt. Deniq; addit *medium*, quod est *συμβόλιον*, non unius, non paucorum consilium, sed totius Concilii *συμβόλιον*, quia plenis votis contra Christum surrexerunt, eumq; consultationibus & decisionibus suis unanimiter morte dignum censuerunt.

7. (3) *Concilii sanguinariæ Materiam*, quia de Jesu, vel adversus Jesum $\chi\varsigma$ & Ἰησοῦς , concilium hoc instituerunt, Sacrum hoc videbatur Concilium, sed illis, qui tantum ex coloribus externis res judicare consueverant: & quia constabat ex Sacerdotibus & Theologis, ideo dicebatur sacrum, ad differentiam politicorum conventuum; sed quia contra *Sanctum Sanctorum* erat congregatum, ideo non tam sacrum, quam *Satanicum* jure nuncupatur, quia summus Præses, Director, & Judex, in hoc Concilio non fuit alius, quam ipse *Diabolus*.

Materia.

8. II. *Concilij sanguinarij scopus* verbis paucissimis introducit, ut eum morti traderent: quibus verbis insinuat, (1) *Scopi signum*, quod fuit *Christi in Synedrium deductio*: non enim absentem, sed presentem condemnare voluerunt, ut eo meliori forma juris res suas malas agerent, nec in odium populi totius incurrerent, sed ipsum ab omni tumultu retinerent, sanctissimam animam Christi eo diutius torquerent, & autoritate majori, successu faciliori, Jesum Captivum Pilato traderent. Signum hoc etiam fuit *Christi à toto Synedrio interrogatio*, & deniq; totius Synedrii *condemnatio*. *Matthæus* h. I. compendio utitur, & quia *processum Synedrii notæurni* prolixè c. XXVI. descripserat, ideo *matutinum* brevioribus absolvere voluit, cum eundem processum observaverit. *Lucas* tamen c. XXII. à v. 66. ad 71. nobis *Acta matutini Concilii*, & quæ fuerint in eo gesta satis plenè consignavit.

II. Concilij Sanguinarij scopus. Scopi signum.

9. (2) *Scopi medium*, quod est ipsa *judicialis ad mortem*. Nam quia *Judæi* sub potestate *Romanorum* vivebant, & *jura superioritatis*, & omnia *Criminalia* jam amiserant, nec occiden-

Scopi medium.

DISSERTATIONES PASSIONALES.

dendi quoniam potestatem amplius habebant, sicut ipsi testantur Job. XIX. 32. ideo post sanguinarium de Morte Christi decretum, de medio consultant, quo modo, quibus de causis, quibus rebus, ipsum tradere, accusare & mortem ejus sub specie justitiæ possent urgere, quæ omnia facile colliguntur ex Job. XIX. 29. seqq.

Scopi mysterium.

10. (3) *Scopi Mysterium*, nam mors Christi Concilii scopus erat, *mysterium respectu Synædrii* quidem *Politicum*, quia videri nolebant, quod ex mera vel invidia, vel odio, Christum persequerentur, hinc *juris processu* rem omnem perficere cogitabant; sed, etiamsi technas suas occultarent, non tamen ex judicio Dei sic occultare poterant, ut non ab omnibus observarentur. Ipse Pilatus, Judex gentilis, statim in primo judicii ingressu videbat & cognoscebat, quod per invidiam eum tradidissent v. 18. *Mysterium respectu Dei*, quod hæc mors Christi sit verum *martyrium* pro totius humani generis peccatis, & pro doctrina celestis, quam Christus erat professus, siquidem verbum *θανατώσασθαι* Matth. X. 21. Luc. XXI. 16. Rom. II. 36. de martyribus aliis adhibetur, & Matth. XXVI. 59. c. XXVII. 1. Marc. XIV. 55. 1. Pet. III. 18. de Christo usurpatur: *Mysterium respectu nostri*, ut cognoscamus, & credamus, hanc Christi mortem fuisse vicariam, nobisq; per fidem applicemus, ut ad vitam nobis prodesse queat.

Concilii Sanguinari Eventus. Item a Christi ligatione.

11. III. *Concilii sanguinari eventus* v. 2. *Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Prasidi*: quibus in verbis triplex invenitur eventus hujus Concilii & Decreti sanguinari: (1) *Iterata Christi ligatione*, quia crudeliter eum denuo ligarunt, ut ipsum instar malefici tractarent, & omnibus hanc opinionem de Jesu, quasi ligationis facta, suggererent, eum maleficium aliquod verum commisisse, ejusque in Synædrio convictum esse; simulq; præcaverent, ne manibus ipsorum evaderet, sicut Job. II. 59. c. X. 39. Luc. IV. 30. & certe diffidebant causæ suæ pessimæ, populiq; tumultum ob malorum conscientiam timebant; noverant etiam, Jesum multos sibi discipulos fecisse, & plures beneficiis suis sibi devinxisse, quare certi nunc adeo de successu esse non poterant; deniq; nec aliter, quam vinctum aliquem maleficum, eum Pilat

Pil
par
pet
rum
furi
dri
in e
nior
sang
rum
ut &
Salv
dri
fua p
noce
quia
scrib
ti acc

confi
salute
gend
nerati
consta
docet
moct
mane
æper
3. Pra
dubio
ipse Ca
Gener



DISSERTATIONES PASSIONALES,

Pilato, Præsidi Romanorum offerre voluerunt, ut ipsum facilius in partes suas traherent, & eo citius iudicium mortis ab eodem impetrarent. (2) Scelerata Christi ligati deductio, quia vincitum duxerunt eum. Lucas XXIII. 1. refert, quod universa multitudo Synedrionum totum Populum Judæorum repræsentabat, & potissimum in eodem reperiebantur, summi Sacerdotes, Legisperiti, Populi Seniores, Status Ecclesiastici & Politici proceres, promiscua plebs his sanguinariis consiliis non deerat, sed processum ipsorum Processuum augebat, & sic omnes Christum Præsidi Gentili tradebant, ut & à Judæis & Gentilibus pateretur, quo communis omnium Salvator esset: cum primis autem ipsi Proceres & Assessores Synedrionum magna pompa per plateas eum abducebant, ut autoritate sua populum à tumultu revocarent, & Præsidem ad mortem innocentem maturandam commoverent. (3) Iniqua Christi traditio, quia tradiderunt eum Pontio Pilato, sed ut Johannes prolixè describit, sine prægnanti causa, sine probis testibus, sine constanti accusatione, quæ, & alia, summæ iniquitatis Symbola fuerunt.

Scelerata
Christi li-
gati de-
ductio.

Iniqua
Christi
traditio.

Notæ Didacticæ.

1. *De mane consilium, dicitur alias vulgato proverbio: sed consilium tale pro gloria Dei, proximi commodo, publicaque salute suscipiendum, non autem contra Deum & Christum dirigendum.*

De mane
Consilium

2. *Filii hujus sæculi & prudentiores dicuntur filiis lucis in generatione sua Luc. XVI. 8. & promptiores sunt, & in proposito constantiores, quemadmodum hoc Concilium Malignantium docet, quia non tantum vespere convenerunt, in ultimam usque noctem contra Jesum consultarunt, sed etiam nunc de summo mane novum Concilium congregant, omnemque rem, prout cœperunt, perficiunt.*

Filii hujus
sæculi.

3. *Præsides supremus hujus concilii Diabolus ἀνθρωποκτονὴς absq; dubio fuit, qui χεῖρον λόγον etiam esse voluit. Præsides immediatus ipse Caiphas, illius Anni summus Sacerdos: Assessores dicuntur in genere Principes Sacerdotum, & Populi Seniores, sed intelliguntur*

Præsides
&
Assessores
Concilii.



DISSERTATIONES PASSIONALES.

Principes
Sacerdo-
tum.

*in specie Proceres universi, quotquot ad Synedrium pertinuerunt, paucis viris religiosis exceptis, qui in hoc sanguinarium consilium consentire noluerant Luc. XXIII. 51. Principes Sacerdotum, juxta nonnullos intelliguntur Annas, Caiphas, & alii, qui Pontificatu, licet successive, functi fuerunt, secundum alios Principes, vel Capita familiarum, Sacerdotalium: siquidem Sacerdotes in 24. sortes, vel familias, principales distincti fuerunt, & Capita, vel Principes illarum familiarum *ἀρχαῖοι* appellabantur, de quibus B. Gerb. in Harm. Evangel. cap. 141. p. 3.*

Concilia
officinae
veritatis,
pietatis &
charitatis

4. Concilia sunt aliàs (1) officina veritatis, quia de capitibus Christianæ religionis & controversiis obortis examinandis & componendis in Conciliis agitur, (2) officina pietatis, quia de moribus vel pie conservandis, vel pie reformandis, in Conciliis etiam agendum. (3) officina charitatis, quia plurimum etiam conducunt, ad concordiam & pacem Ecclesiis vel servandam, vel restituendam. Sed in hoc Concilio fiunt omnia contraria. Nam est (1) officina falsitatis, quia præter alia quamplurimos falsos testes autoritate Conciliari contra Christum produxerunt. (2) officina impietatis, quia nihil præter impia contra Christum consilia contulerunt. (3) officina hostilitatis, vel crudelitatis, quia hostilem contra Christum animum ostendunt, eumque crudeliter ad mortem usque persequuntur.

Concilio-
rum utilita-
tes.

5. Hinc variaz recensentur Conciliorum utilitates. B. Gesner. *disp. de Concil. lib. 2 seq. tres potissimum utilitates recenset* (1) quod profint ad sinceram doctrinam confirmandam, & longe lateque propagandam, sicut in Concilio Apostolico vera sententia, de Ceremoniali lege Mosis, illustrata, & gentium ac Judæorum Ecclesiis explicata Act. XV. (2) quod plurimum faciunt ad reprimendas hæreses & falsa dogmata, ab errorum Patronis disseminata. (3) quia utiles sunt ad disciplinam Ecclesiæ conservandam, vel emendandam.

6. Concilium non ex necessitate restringendum ad solum Ecclesiasticum statum, quia hic legimus, quod non tantum Sacerdotum Principes cum aliis Ecclesiasticis personis, sed etiam Populi Seniores ad Concilium congregati sint.

Umg. VI-61

ULB Halle

3

004 113 25X



IA 70L

Umg. VI 61





Farbkarte #13

B.I.G.

4

נשן משיח
DISSERTATIO THEOLOGICA

De
**PETRINA ABNE-
GATIONE,**

ex Matth. XXVI. v. 69. usq; 75.

Quem
PRÆSIDE
RECTORE MAGNIFICO
V I R O

Maxime Reverendo, atqve Excellentissimo,

DN. JOHANNNE Deutschmann!
SS. Theol. Doct. ejusdemq; Prof. Publ. Celeberrimo
nec non Alumnorum Electoralium Ephoro Gravissimo,
*Dn. Patrono Præceptore ac Promotore filiali cultu
ac observantiâ et atem prosequendo*

die 6. Aprillis A. Æ. C.
M. DC. LXXVII.

In Auditorio Theologorum

horis consuetis
Publicè defendendam suscepit

RESPONDENS

GEORGIUS SCHULERUS,

Cibiniô Transylvanus.

WITTEBERGÆ, Typis JOHANNIS BORCARDI, Acad. Typ.
Excudebat SIMON LIBERHIRT.

h. III. 2873

Sp. Mei

